



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Cap. IV. De Sigillo Confessionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

communiter absque Confessione, Sacerdos privatus tenetur sub mortali, etiam cum periculo vitæ audire Confessiones, si alii non subvenient: quia gravis necessitas spiritualis communitatis, licet non extrema, est per se gravissimum malum, cui meritò succurri debet cum jactura vitæ privati. Et quia vix fieri potest ut talis necessitas non sit conjuncta cum necessitate extrema aliquorum. De Lugo.

*Resp. III.* Extra necessitatem gravem tenentur, quando facile possunt, & utilitas proximi magna id exigit. ex I. Pet. 4. *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrans, sicut boni dispensatores multiformis gratie Dei: nam sine culpa non possunt ex negligentia inutilem reddere potestatem absolvendi in utilitatem proximi acceptam.*

## CAPUT IV.

### *De Sigillo Confessionis.*

**S**igillum illud est Religiosa obligatio servandi in quovis casu secretum circa ea, quæ ex Confessione Sacramentali cognita sunt.

*Q. I. Quæ, & quanta est obligatio Sigilli Confessionis?*

*Resp. I.* Secretum Confessionis obligat. I. Jure naturali, quo generatim tenemur non revelare secretum commissum, & promissum, etiam implicitè, præsertim cum damno aut infamia alterius. In Confessione autem inter-

*cedit*

cedit tacita pactio inter Confessorem & Pœnitentem; nam hic peccata sua declarat sub conditione tacita secreti, quod Confessor tacite spondet hoc ipso quòd audit Confessionem. 2. Lege divina speciali positiva, inò & naturali suppositâ institutione Confessionis Sacramentalis, quam ex natura rei consequitur, ne scilicet revelatione secreti Confessio redderetur onerosa & odiosa, & sic ab illa homines averterentur. 3. Lege Ecclesiasticâ veritate revelationem Sigilli sub gravissimis pœnis, latâ in Conc. Gener. Later. 4. c. 21. ibi: *Caveat omnino ne verbo vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem; sed si prudentiori consilio indignerit, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat: quoniam qui peccatum in Pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agenda perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.*

Hinc in violatione Sigilli reperitur malitia injulitiæ erga Pœnitentem, & sacrilegii ob irreverentiam in Sacramentum, quæ malitia sacrilegii semper est ex se mortalis, nec potest esse venialis ex levitate materiæ: ita ut sit mortale vel unum veniale in particulari revelare; nam minima infractio Sigilli graviter injuriosa est Sacramento, cum illud reddat odiosum, & avertat à Confessione; & revelatio venialis culpæ à Confessione venialium deterret.

Resp. II. Hæc obligatio tanta est, ut nullo

prorsus casu, vel ad tormenta quælibet & mortem vitandum liceat secretum Confessionis revelare, sine expresso consensu Pœnitentis; ut constat ex sensu & praxi Ecclesiæ. Quia Christus dum hoc Sacramentum instituit, & Pœnitentes obligavit ad confitendum omnia mortalia, simul obligavit Confessarios ad Confessionis secretum nunquam violandum, quavis de causa: nam si liceret aliquo casu detegere cognita ex Confessione, Confessio fieret odiosa, & ab ea homines averterentur: (quod est maximum malum commune, gravius damno vitæ, cum Confessio sit medium salutis non solum utilissimum, sed etiam necessarium) semper enim Pœnitens timeret, ne occurreret ille casus, vel ne Confessor eam necessitatem apprehenderet, & revelaret ejus peccatum, præsertim cum multi hac licentiâ ex imprudentia facile abuti possent. Hinc c. 2. de Pœnit. dist. 6. dicitur nefas esse, aliquid revelare, etiam pro aliquo scandalo vitando. Quare obligatio servandi secretum Confessionis longè major est & arctior, quàm obligatio secreti naturalis, quod aliquando aperiri debet, dum ejus revelatio necessaria est ad impediendum malum innocentis, vel reip.

Dixi 1. *Sine consensu Pœnitentis.* Nam eo sponte dato, licet justa de causa uti notitia in Confessione acquisita. Quia cum obligatio sigilli sit in favorem Pœnitentis, potestis jure suo cedere, & dare facultatem revelandi aliquid in Confessione declaratum; potestque  
per

per alium facere quod potest per se ipsum. Et aliquando ad id tenetur, v. g. ad avertendum damnum reip. vel tertii: ac proinde si eam denegat, non debet absolvi, cum sit indispositus.

Dixi 2. *expresso*. Nam non sufficit consensus præsumptus, vel interpretativus, ut cum Confessor judicat Pœnitentem facultatem concessurum, si peteretur. Quia si non requireretur expressus consensus, Confessio redderetur valde odiosa & onerosa: saepe enim multi Confessarii ex imprudentia putarent ejusmodi revelationem esse gratam Pœnitenti, cum tamen valde displiceret: sicque merito timerent Pœnitentes ne aliquo casu ex simili præsumptione peccata sua proderentur. Unde graviter peccat Confessor contra Sigillum, si plura peccata aut pluribus aperiat, quam Pœnitens expressè consensit: vel si facultatem illam injuriâ aut fraude ab eo extorqueat, falsò ei persuadendo illum teneri hanc concedere, aut quid simile. Item non sufficit quòd teneatur concedere, si reipsâ non concedat; nam nihilominus redderetur Confessio odiosa.

*Q. 2. Quenam Sigilli secreto continentur?*

*Resp.* Ea omnia quæ per Confessionem deteguntur, scilicet omnia peccata tum mortalia tum venialia, tam interna & occulta quam externa & publica, eorumque circumstantiæ; item tentationes, vitia, cupiditates, indispositio, imperfectiones, defectus naturales etiam inculpabiles, scrupulositas, & ignorantia Pœ-

Gg s

nitentia-

nitentis; defectus natalium, peccatum complicis materia ac objectum peccati; persona quæ est objectum, causa, circumstantia vel occasio peccati, aut aliter; item quæcumque à Pœnitente dicta sunt ad pleniorum peccatorum, conscientia ac dispositionis suæ manifestationem, sive reipsâ, sive ex falsâ ejus opinione ad eam manifestationem pertineant, vel utilia sint, etiam si ad alios spectent, & alia quælibet quæ Pœnitens non vult ut detegantur. Ratio est quia revelatio quorumvis istorum redderet Confessionem odiosam, cum molestiam vel infamiam vel dedecus inferre nata sit Pœnitenti; præsertim cum multi nesciant discernere, quæ possint ac debeant dici aut omitti in Confessione. Imo juxta Conink & alios, contra alios, Pœnitentis defectus, quos Confessarius ex ipso modo confitendi colligere potest, cadunt sub sigillum, ita ut illud violaret, si dicat Pœnitentem esse scrupulosum, impertinentis & naniis tempus contere, esse morosum, & his similia. Nam hoc aptum est reddere Confessionem odiosam: ideoque in praxi vitandum.

*Q. 3. Quomodo violatur sigillum Confessionis?*

*Resp.* Dupliciter 1. directè, revelando expressè aliquid ex sola Confessione cognitum. 2. Indirectè, aliquid dicendo aut faciendo, ex quo quis cognoscere vel suspicari possit peccatum vel defectum Pœnitentis aut aliorum, aut quævis per Confessionem cognita, ex quibus

bus Pœnitenti aut aliis pudor, molestia, dedecus, damnum, vel quodlibet gravamen sequi posset, etiamsi audiens, id aliunde sciat. Quæ omnia reddunt Confessionem odiosam.

Hinc secretum Confessionis violat 1. qui dicit de aliquo etiam mortuo, quod commiserit aliquod mortale, vel plura venialia, vel tale veniale in particulari, v. g. mendacium. Non tamen qui dicit præcisè Petrum sibi confessum esse aliquod veniale indeterminatè: nam hoc ex ipso actu Confessionis patet: qui enim confitetur, hoc ipso attestatur se aliquod saltem veniale admisisse. Sed ne hoc quidem dicendum est ob periculum scandali. Dixi, *etiam mortuo*, nam revelatio cognitorum ex Confessione etiam post mortem Pœnitentis redderet Confessionem valde onerosam ac odiosam; cum homines sint valde solliciti, ne etiam post mortem infamentur.

2. Qui unum, præ aliis quos audivit, laudans, dicit eum sola venialia admisisse: nam inde ali facile in suspicionem culpæ mortalis adducuntur.

3. Qui dicto vel facto peccatum Pœnitentis aliis etiam jam aliunde scientibus manifestat.

4. Qui dicit aliquod grave peccatum committi in tali Monasterio, vel Capitulo. Nam hoc parit infamiam communitati, redditque Confessionem odiosam. Item qui dicit in loco illo, præsertim Augusto, ubi Confessiones audivit, esse multos fures, adulteros luxuriosos, aut injustos, &c. vel in tali loco talia  
& talia

& talia committi solere, præsertim si hoc aliunde non constet, nec sit publicum: nam hoc infamiam loci seu communitatis parit; quæ in singulos redundat.

5. Qui auditis paucorum confessionibus dicit se tale peccatum audivisse non nominatâ personâ. Jam enim singuli ex illa relatione aliquid suspicionis contra se patiuntur. Vel qui peccata per Confessionem cognita ita narant, ut audientes possint aliquo modo conjicere vel suspicari quinam ea commiserint.

6. Qui dicit se non absolvisse talem, remisisse ad tale tempus; vel ei dedisse talem Pœnitentiam, ex qua colligatur peccatum mortale saltem in genere; vel qui de Titio fure notorio dicit eum sua furta Contritione magnâ sibi Confessum esse.

7. Duo Confessarii, qui inter se colloquuntur de peccatis Pœnitentis, etiamsi is utrique eadem peccata Confessus fuerit.

8. Qui altâ voce, vel alio modo à circumstantibus intelligibili, arguit Pœnitentem; nam hoc ipso indicat gravitatem materiæ quam audit.

9. Utendo notitiâ per Confessionem partâ sine licentia, & cum gravamine Pœnitentis, vel cum ejus licentia, sed extorta nec sponte data. Porrò potest violari Sigillum non solum verbis, sed etiam factis & aliis signis, ut constat ex Conc. Later. citato.

*Not. 1.* Quamvis non violet Sigillum, qui præcisè refert peccata in Confessione audita, per-



personam & locum nullo modo designando, sicut audientes, ne leviter quidem, suspicari, possint quinam ea commiserint; tamen rectè monent non esse dicendum: *hæc peccata audi- vi in Confessione.* quia audientes præsertim Lai- ci facilè scandalizantur, suspicantes violari Si- gillum; & quandoque periculum est, ne ex imprudentia lædatur Sigillum, & deveniatur in suspicionem personæ. Imò hoc prohibi- tum esse à Conc. Later. c. *omnis.* nisi in necessi- tate petendi Consilii docet Fagnan. quia Con- cilium solùm permittit de peccato audito, abs- que ulla expressione personæ, & cautè consu- lere sub hac conditione, *si prudentiori Consilio indigerit:* ergo extra hanc indigentiam id non licet.

*Not. 2.* Quamvis liceat Confessario loqui de rebus, quas aliunde novit: quia nihil cadit sub Sigillum, nisi quod cognitum est ex Sacra- mentali Confessione, & ut ex ea cognitum si- ve immediatè sive mediatè; violat tamen Si- gillum, si aliquid amplius vel certius affirmet quàm extra Confessionem novit.

*Not. 3.* In Consilio captando omittendæ sunt circumstantiæ loci, temporis, & aliæ in- utiles, ne facilè innotescat Pœnitens. Quid si sine periculo revelationis consilium peti ne- queat; tunc non licet illud petere sine venia expressa Pœnitentis.

*Q. 4.* *An licet Confessario loqui cum ipso Pœni- tente de auditis in Confessione?*

*Resp.*

*Resp.* Non licet extra Confessionem absque ejus expressa licentia, quam Pœnitens tenetur dare, cum id necesse est ad supplendum aliquem defectum, vel errorem dedocendum. Ita S. Carolus in Instruct. Confessor. quia alia hoc molestam & odiosam redderet Confessionem: nam pudorem injicit, & exprobrationem quamdam continere solet. At id omne, quod Confessionem odiosam ac molestam reddere potest, est graviter à Christo prohibitum.

Hanc licentiam censerì dari à Pœnitente docet Delugo, quando ipse interrogat, vel loquitur cum Confessario, de aliquo quod dixit in Confessione. Imò si statim post impostam satisfactionem ac datam absolutionem Confessor judicet aliquid addendum circa dicta in Confessione, potest id facere quando Pœnitens est in Confessionario: quia id spectat ad complementum Judicii Sacramentalis, quod adhuc censetur durare, & cujus actus sunt absolvere, punire, consulere, monere, corrigere, ligare & similia. Et quia moraliter non censetur extra Confessionem quod in continenti dicitur in Confessionario. Item potest in sequentibus Confessionibus Pœnitentem admonere de defectu aliquo in prioribus admisso, de negligentia se emendandi, de frequentia relapsuum, &c. & uti notitiâ, per priores Confessiones partâ ad specialia monita ac fortiora remedia suggerenda: quia loquitur in eodem foro Sacramentali, in quo Sa-  
cerdos

verdos ad bene curandum Pœnitentem debet considerare etiam peccata præterita, quæ indicant passionem vehementem, vel consuetudinem, vel aliquid aliud consideratione dignum, ad melius cognoscendum statum Pœnitentis: idque pertinet ad officium Judicis ac Medici, quod tunc exercet. Et tunc agit ut Dei Vicarius; ac proinde potest uti notitiâ, quam ut talis habet.

Quòd si Pœnitens extra Tribunal facultatem loquendi de re necessaria ad Confessionem pertinente deneget Confessario, juxta multos non licet eum monere: nam tunc Confessor reverâ loqueretur extra Confessionem, cum judicium jam moraliter finitum sit: at est Regula generalis quòd Confessor de Confessione sine licentia Pœnitentis loqui non potest extra Confessionem. Et verò si sigillum non obligaret ad non loquendum cum Pœnitente in eo casu, non esset necessitas petendi licentiam; nam licentia Pœnitentis non requiritur nisi propter Sigillum, quam tamen necessitatem petitionis nemo negat. Quare licentiâ negatâ tacere debet Confessor, & jam satisfecit suo muneri.

Q. 5. *An licet extra Confessionem uti notitiâ per Confessionem acquisitâ?*

Resp. I. Licet uti cum licentia expressa Pœnitentis sponte ab ipso in ipsius vel alterius utilitatem data: quia ratio Sigilli est ne Confessio reddatur odiosa: at tunc non potest in-

de Confessio reddi odiosa, cum quisque sciat suam sibi relinquere libertatem concedendi vel negandi licentiam, & eam pro arbitrio limitandi. Et tunc Pœnitens ponit conditionem, quâ positâ præceptum divinum non obligat: nam solum erat præceptum non revelandi nec utendi notitiâ illâ sine licentia expressâ Pœnitentis. Tenetur autem Pœnitens permittere usum istius notitiæ, quoties necessarius est ad bonum commune, ad tollendam occasionem peccati, ad avertendum grave damnum spirituale vel temporale alicujus privati, & ad alia, quæ justitia, vel charitas exigit: alioqui absolute indignus est.

*Resp. II.* Nunquam licet sine expressâ licentia uti tali notitiâ cum quâvis directâ aut indirectâ revelatione cognitorum in Confessione, & ex quâ oriri possit suspicio usûs talis notitiæ: quia quælibet revelatio etiam indirecta sine expressâ venia Pœnitentis est violatio secreti Confessionis, & reddit Confessionem odiosam & onerosam.

*Resp. III.* Neque licet, sine expressâ licentiâ, uti tali notitiâ, cum qualicumque Pœnitentis gravamine etiam temporali, etsi aliunde non injusto, & seclusâ quacunque revelatione, quamvis multò majus gravamen ejusdem Pœnitentis ex non usu sequeretur. Prob. I. ex decreto à S. Congregatione generalis inquisitionis auctoritate Innoc. XI. edito, & Romæ affixo an. 1682. quo prohibetur hæc propositio, & ejus praxis, *Scientiâ ex Confessione ac-*  
*quisita*

quisitâ uti licet, modo fiat sine directâ aut indire-  
 ctâ revelatione, & gravamine Pœnitentis; nisi  
 aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius  
 comparatione prius merito contemnatur. Addi-  
 tâ deinde explicatione sive limitatione, quod sit in-  
 telligenda de usu scientiæ ex Confessione acquisitâ  
 cum gravamine Pœnitentis, seclusâ quâcumque re-  
 velatione, atque in casu, quo multo gravius gra-  
 vamen ejusdem Pœnitentis ex non usu sequeretur.  
 Hanc dictam propositionem, quatenus admittit  
 usum dictæ scientiæ cum gravamine Pœnitentis,  
 etiam cum dictâ explicatione sive limitatione præ-  
 senti decreto prohibent, Sc. 2. Clemens VIII. &  
 Urban. VIII. prohibuerunt Regularibus, ne hac  
 notitiâ utantur ad exteriorem gubernationem.  
 3. Quia ille omnis usus notitiæ per Confessio-  
 nem partæ illicitus est, qui si cognosceretur à  
 Pœnitente esse licitus, redderet illi Confessio-  
 nem odiosam; nam talis usus à Sacramento  
 avertit, & Christus vetuit, ne unquam redde-  
 retur odiosum. At si Pœnitentes scirent lice-  
 re Confessario, ipsis non advertentibus uti no-  
 titiâ Confessionis ad aliquid ipsis grave ac mo-  
 lestum, redderetur illis Confessio odiosa, &  
 semper id timerent. Et verò si non licet uti  
 notitiâ cum gravamine aliquo Pœnitentis ad-  
 vertentis talem usum: nec etiam licet, quam-  
 vis id non advertat; si enim antecedenter Pœ-  
 nitens sciret posse Confessorem uti occultè illâ  
 notitiâ contra Pœnitentem, hic avocaretur  
 non minùs, sed potiùs magis à Confessione  
 peccati, quàm si sciret eum posse tale quid fa-  
 cere

cerc advertente ipso Pœnitente: nam magis lædunt illa quorum causam ignoramus, quam illa quorum causas scimus, quibus facilius possumus adhibere remedium per causam contrariam, ut notat De Lugo.

Nec obstat quod tunc nulla esset revelatio Confessionis: quia Sigillum obligat Confessorem non solum ad non revelandum peccatum Pœnitentis, sed etiam ad vitandum id omne extra Confessionem, quod eam redderet odiosam & difficilem Pœnitentibus, & ad continendam taliter notitiam illam, ut nunquam possit adhiberi contra ipsum Pœnitentem expressè non consentientem. Sic peccat contra Sigillum, qui cum Pœnitente loquitur de peccato ejus, licet nihil prorsus revelet. Ratio enim & obligatio Sigilli est, ne Confessio difficilior, gravior ac molestior reddatur, & sic odiosa fiat, & homines ab ea deterreantur. Unde scientia ex Confessione parta perinde se habet ac si non esset, in ordine ad omnem usum, qui Confessionem difficiliorem seu molestiorem redderet.

Hinc non licet Confessario Pœnitentem secretò punire, malè habere, &c. Item Rituale Tullense monet, ne Parochus denegat testimonium bonæ vitæ & probitatis ei, cujus vita exteriùs est rectè instituta, sed quem ex Confessione scit esse improbum; vel Benedictionem nuptialem iis, quos ex sola Confessione scit contraxisse impedimentum dirimens

ob

crimen; ne moneat parentes ut diligenter invigilent filiæ, cujus libidinem ex sola Confessione novit; ne amoveat Vicarium, Ludi-Magistrum, &c. à suo munere ob crimina ex sola Confessione nota.

*Resp. IV.* Ex communi licitus est usus notitiæ ex Confessione acquisitæ, qui fit sine ullo Pœnitentis gravamine, & sine qualicumque revelatione tum directâ tum indirectâ cognitorum in Confessione, nec possit reddere Confessionem difficiliorem & odiosam: quia Christus solùm illum usum prohibuit, qui redderet Confessionem magis onerosam ac difficilem Pœnitenti, & ab illa fideles averteret, cum obligatio Sigilli à Christo imposita sit, ne Confessio redderetur magis gravis ac molesta Pœnitentibus, quàm per se sit.

Hinc licet Confessario sapiùs orare pro Pœnitente, consulere libros, imò & Doctores super peccatis in Confessione auditis, emendare suam negligentiam, vel nimiam severitatem, quam ex Confessione intelligit aliis nocere, &c. modò non detur occasio suspicandi Pœnitentem vel alios. Item licet fugere locum, ubi insidias sibi parari, & abstinere à Sacrificio in quo necandum se veneno didicit ex Confessione, modò præter Pœnitentem nemo advertere possit id fieri ex usu notitiæ per Confessionem partæ: quia hoc non potest ullum gravamen afferre Pœnitenti, nec reddere Sacramentum odiosum, nec revelare Confessionem. Secùs, si alter inde colligat Pœnitentem.

tem ista declarasse, ac idè ei succenseat, & noceat.

*Resp. V.* Confessor cum licentia expressa Pœnitentis debet uti notitiâ peccati complicitis vel alterius ex sola Confessione parta, quando necesse est ad impediendum grave damnum spirituale, vel etiam temporale injustum pœnitentis, vel ipsius complicitis, vel aliorum, ita ut nequeat impediri, nisi Confessarius moneat prudenter ipsum reum, vel Superiorem tanquam Patrem: nam tunc nec violatur Sigillum, nec fit injuria compliciti; & tenemur ex charitate impedire malum proximi, cum sine peccato & gravi incommodo possumus. Sed tunc Confessor hortetur pœnitentem, ut extra Confessionem alienum peccatum ei aperiat, ut tantò liberius peccati notitiâ uti possit, & dicere correpto se illud extra Sacramentum accepisse, ne illud ei odiosum fiat.

Porro ne Confessor facile pœnitenti alios accusanti, præsertim fœminæ credat, nec onus monendi in se suscipiat sine necessitate; nam sæpè vel ex malitia, vel ex errore innocentes accusantur.

*Q. 6. Quid respondere debet Confessor, dum interrogatur de cognitis in Confessione?*

*Resp. I.* Confessor de his interrogatus etiam à Judice, debet secundùm aliquos dicere questionem esse injustam & sacrilegam, ad quam nefas sit respondere. Sed quia id plerumque non sufficit ad tollendam omnem suspensionem,



nem, alii docent eum debere simpliciter affirmare, etiam cum juramento si opus sit, se nescire poenitentem tale scelus commisisse. Nec tunc utitur æquivocatione, aut restrictione, nec mentitur; quia respondet in sensu interrogationis, inquit De Lugo: interrogatio enim est, aut debet esse, an sciat peccatum eâ scientiâ, quæ deservire potest ad illud dicendum, de quâ scientiâ interrogant homines, & de illa intelligi potest responsio. *Homo* (inquit S. Thom. in 4. dist. 21. q. 3. a. 1. ad 3.) *non adducitur in testimonium nisi ut homo: & ideo absque læsione conscientie potest jurare se nescire quod scit tantum ut Deus.* Id est ut Dei vices specialiter agens. & S. Antonin. 3. p. tit. 17. c. 22. ait: *Si non potest alio modo declinare iniquum iudicium, potest respondere, nihil inde scio; quia subintelligitur, ut homo: & nihil scio etiam per Confessionem, quod intelligitur tibi revelandum.* Alii dicunt istam responsionem, *nescio*, in talibus circumstantiis apud prudentes nihil aliud significare, quàm me nihil debere revelare.

Si autem Judex quærat num Confessionem Petri audierit; respondere debes te audivisse. At si quærat num tale peccatum confessus fuerit; respondere debes secundum aliquos istam interrogationem esse injustam, impiam, & responso indignam: secundum alios te nihil tale audivisse quia ex circumstantia intelligi potest, te tale nihil audivisse auditione eorum, quæ liceat revelare, vel ut hominem.

Hh 2

Resp.

*Resp. II.* Confessor interrogatus, an poenitentem absolverit, respondere debet se officio functum esse, non autem absolvisse: alioqui enim id affirmans de uno & non de altero, indicaret denegatam absolutionem: & sic indirectè revelaret Poenitentis indispositionem, aut peccatum reservatum. Quare eadem debet esse responsio pro omnibus poenitentibus, quos absolvit & quos non absolvit. Hinc dum danda sunt testimonia Confessionis auditæ; debet Confessor testari solum se audivisse Confessionem talis.

Porro etsi regulariter ita respondendum sit, non potest tamen damnari Confessarius, qui dicit se aliquem absolvisse, quando nullum est periculum pro aliis: quia hoc nullo modo est contra Sigillum, nec potest reddere Confessionem odiosam. Quòd si Sacerdos vocetur in jus à poenitente, ut rationem reddat denegatæ absolutionis, testari debet se nullum in hac exigenda ratione Superiorem agnoscere præter Deum.

*Q. 7. Ex qua Confessione contrahitur obligatio Sigilli?*

*Resp.* Contrahitur ex omni & sola Confessione Sacramentali. Confessio autem censetur Sacramentalis in ordine ad inducendam obligationem Sigilli, quæ ex intentione se accusandi secundum institutionem Christi, in ordine ad absolutionem aliquando obtinendam, fit ei, qui bonâ fide creditur Judex legitimus,

mus, etiamsi non sequatur vera absolutio quâvis de causa. Hoc enim necessarium est ad securitatem Sacramenti.

Hinc Sigillum obligat 1. Etiamsi Confessio facta sit Laico, vel Sacerdoti non approbato, quem Pœnitens bonâ fide putat esse Sacerdotem & legitimum Judicem: nam defectus huius obligationis cederet in detrimentum Confessionis validæ, quæ inde minùs secura redderetur, propter periculum ne quis malitiosè fingat se Sacerdotem approbatum, aut se esse putet cum non sit. 2. Etiamsi Sacerdos non habeat intentionem conficiendi Sacramentum & absolvendi. Alioqui Pœnitentes possent facilè decipi, & metus huius deceptionis multos deterreret à Confessione, obessetque securitati Sacramenti. 3. Etiamsi pœnitens confiteatur sine Contritione & voluntate recipiendi absolutionem; sed tamen cum intentione se Sacerdoti tanquam Dei Ministro subiiciendi & accusandi, vel ut ab eo aliquo modo adjuvetur, & dirigatur in ordine ad id, quod deesse iudicat, ut possit absolutionem aliquando obtinere: nam ex communi, talis Confessio quoad effectum inducendi Sigillum est Sacramentalis, licet non sufficiat ad valorem Sacramenti.

Econtra non contrahitur obligatio Sigilli ex Confessione, quæ fit solùm ex intentione irridendi, decipiendi, vel inducendi Confessarium in peccatum; aut si extra Tribunal quis dicat se, id quod narraturus est, committere

**Sigillo Confessionis:** quia obligatio Sigilli est annexa soli Confessione instituta à Christo, vel ei cujus revelatio in Confessione à Christo instituta detrimentum cederet.

Hinc oritur solum obligatio secreti naturalis ex eo quod aliquis committens secretum Sacerdoti, dicat se illud ei committere sub secreto Confessionis, & Sacerdos sic admittat. Ita S. Th. in 4. dist. 21. q. 3. a. 1. q. 3. ad 2. nam secretum Confessionis religiosum, soli Confessione proprium est. Addit Sylvius hanc admissionem non carere irreverentiâ Sacramenti, cum nullum arcanum possit secreto Confessionis æquiparari.

*Q. 8. Quinam contrahunt obligationem Sigilli?*

*Resp.* Si omnes, qui immediatè vel mediatè, licitè vel illicitè, habent ex Confessione Sacramentali notitiam rei cadentis sub Sigillum: nam si omnes tenentur secreta servare ea, quorum revelatio redderet Confessionem onerosam ac odiosam, & ab ea homines deterreret. At si homines scirent aliquos tales posse aliqua ex Confessione cognita revelare, averterentur Confessionem, & ab ea averterentur. Prætereà cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo. Reg. 39. Jur. in 6. Igitur securitas ac reverentia Sacramento debita exigit, ut quævis notitia per Confessionem solam quovis modo parta nunquam possit communicari sine expressa licentia pœnitentis, ne Sacramentum reddatur difficilius & odiosum.

Hinc

Hinc obligatione Sigilli tenentur 1. Ipse Confessor etiam fictus, sed per errorem legitimus existimatus; nam Confessio tunc ex intentione poenitentis est Sacramentalis. 2. Si omnes, qui peccatum poenitentis, dum confitetur, audierunt, sive culpabiliter, propius accedendo animo audiendi (quod est mortale ob injuriam gravem illatam Sacramento & Poenitenti) sive inculpate & prater voluntatem. 3. Superior, a quo extra Sacramentum petitur facultas absolvendi a casu reservato. 4. Interpretes, ut organum medium per quod facta est Confessio. 5. Qui per examen disponit alium ad Confessionem; & qui consulitur an & quomodo hoc vel illud teneatur confiteri, quamvis alteri fiat Confessio. 6. Is, qui consulitur a Confessario, etiam cum licentia Poenitentis; alioqui valde odiosum & grave esset Poenitentibus concedere facultatem consulendi alium, (ut saepe necessarium est ad bonum Poenitentis, & rectam Sacramenti administrationem) si ille alius non obligaretur Sigillo. Item is, cui Confessor Poenitentem manifestavit ex consensu Poenitentis. 7. Si omnes, qui aliquid didicerunt etiam mediate ab ipso Confessario, aut quovis alio ad Sigillum obligato. 8. Qui peccata Poenitentis in charta descripta legi dum Poenitens ex scripto confitetur; is enim se habet, ut ille qui fortim audit confitentem. Qui autem ante, vel post & extra Confessionem cartam peccata continentem reperit, peccat graviter si legat, & se-

Hh §

cun-

cundum multos obligatur Sigillo: quia peccata in charta scripta ordinantur ad Confessionem Sacramentalem rite perficiendam, idque ut favorabilius Sacramento tenendum est.

*Q. 9. An Pœnitens etiam obligatur Sigillo respectu Confessarii?*

*Resp. Neg.* Quia obligatio Sigilli est solum in favorem Pœnitentis, ut securè ac confidenter peccata sua & conscientiam aperiat, sicut tenetur secundum institutionem Christi: non autem in favorem Confessarii, qui non tenetur ex institutione Christi peccata sua Pœnitenti aperire; & sic non eget obligatione Sigilli circa ea quæ debet dicere Pœnitenti. Pœnitens tamen habet obligationem secreti naturalis circa ea, quæ revelare nequit sine injusto damno Confessarii, aut contra rationabilem ejus voluntatem. At si Confessor aliquid dixerit, vel fecerit, quod vergat in damnum commune, vel privatum, ut si hæresim doceat, si sollicitet ad turpia, vel si existat aliud grave periculum ruinæ spiritualis sive Confessarii sive alterius; Pœnitens tenetur ex lege charitatis ista denunciare Prælato, si aliter malum certò impediri nequit. Imò Gregor. XV. Bulla 34. præcipit Pœnitentibus ut denuntient Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis Confessarios, qui personas quascumque, *ad inhonestam sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, sive antea vel post immediate, seu occasione vel pretextu Confessionis* bujus-

hujusmodi, etiam ipsâ Confessione non secutâ, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint. Mandatque omnibus Confessariis, ut Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis modo supra dicto sollicitatos, moneant de obligatione eos denuntiandi. Unde ad hoc tenentur omnes, ubi hoc decretum viget; imò & alii, si aliâs isti nefarii Confessarii prævidentur non emendandi: nam tunc lex charitatis erga illos, & alios seducendos obligat ad tale crimen impediendum hac denuntiatione, si non adsit alia via efficax.

## APPENDIX.

### *De Indulgentiis.*

Q. I. *Quid, & quotuplex est Indulgentia?*

R. I. *Indulgentia est remissio pœnæ temporalis peccatis, quoad culpam remissis, debitæ, facta extra Sacramenta, & sacrificium per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum. Fide constat ex Trid. sess. 25. Indulgentiarum usum fidelibus maximè salutarem esse, easque concedendi potestatem in Ecclesia extare.*

*Resp. II. Indulgentia alia est totalis, seu plenaria,*